


Xb  
1257





Prodromus  
RESPONSIONIS SOLI-  
DIORIS AD SCRIPTVM FV-  
TILE, MALEDICVM, ET BLASPHEMVM A.  
CERDONIS, PASTORIS ET SVBVLCI  
CALÆGIANI.

Editus

à

Viris bonis & Orthodoxis, studio aman-  
te veritatem, & auersante hypocrisim cū calumniarum virulentia.

CVI ADIECTA EST EPISTOLA VIRI OBSCU-  
ri Ortij Gratij stylo veteri ad eundem.

Terent. Andr.

Si mihi pergit quæ volt dicere, ea, quæ non volt, audier.



NEAPOLI.  
ANNO M. D. XCI.

PRODROMVS.  
In Adamum Cerdonem.



VIS, Cerdo, quis te mentis æstro percitum.  
Ardor, bonorum vertit in conuicia,  
Quid immerentem, quid, canis, vexas gregem,  
Ignarus atq; mutus aduersum lupos?  
An Flaccicus te concitat furor, nouo  
Calumniarum armatus usq; crimine?  
An iurgiorum fomes & mendacij  
Nanus, tuæ iste sarcinat or nenia?  
An Spartacorum mancipatum fœnori  
Genus, stuprisq; raptuumq; infamia  
Celebre, ripis nidulans Salacia,  
Hanc impotentis hanc tibi vesaniam  
Subdit furoris? an rapit vis acrior  
Culpæ, incitata criminum licentia?  
Quid namq; causæ suspicere quod nemini  
Graues, & usu seruientes plurimis  
(Uſu ſalubri pulpitis, aris, focis)  
Viros, virorum pefsumorum pefsume,  
Probris laceſis, impetis conuicijs?  
Sacrae comminationis prodigii,  
Turbare cætum non abhorres simplicem,  
Diffeminate opinionum toxicō,  
Quo vix venenum dogmatum nocentius  
Ructauit Antichristus; indies tuus  
Sed ore ructat impio Doctorulus,  
Blasphemus in Deum, atq; rythmis versuum  
Prob criminosis, vanitate putidis,  
Dignisq; ſpurco Spartacorum nomine,  
Limaq; vatum Simiae turpiſimæ,  
A principum non abſtinens iniuria.  
Quid vis tibi? num peruenire cogitas  
In ora vulgi, notus ut sis quālibet?

Eris:

Eris : sed ut te maulis notum minus.  
Responsione nam tuarum qui fuit  
Haud antè plena vanitatum ineptias  
Dignatus, ira ceu Leonis præterit  
Agnos inermes ; is palam Midæ tibi  
Ostendet aures , hinc & hinc quæ prominent.  
¶ nunc, patrone profanitatis impiæ,  
¶ lingulaca cum cucullionibus ;  
Quos ritè pingis oris exemplo tui,  
Et Psychophontæ, quem lupus lupum scabis,  
Balintum birudo sanguisorba Ecclesiæ.  
I nunc, aselle, tegit noscens in tua,  
Si quid sapis, reconde pelle; quam prius  
Prodamus æuo monstra turpitudinis,  
Auriq; fulta, fulta tot libidinis.

In Nanum & Cerdonem fratres gemellos  
Parodia.

Belle conuenit impijs ministris,  
Non verbi puta, sed calumniarum,  
Nemo Psychophono, huius & gemello  
Cerdoni ; maculas videre utrig; est  
Impressas viridi pares ab æuo.  
Mendaces pariter ; nec alter isto  
Blasphemus magis, & minus malignus,  
Aut morsu ferus in bonos procaci.  
Virus evomit hic nocens & iste.  
Belle conuenit impijs ministris.

In Nanum & Spartacum hospites in suburbio Au-  
strali Parthenopyrgi.

Pulcrè conuenit hospiti gemello,  
Ad ripam Notopyrgij salacem,  
Nec mirum ; bonitate par utrig;  
Alter in generum, effedarium alter.

A 2

Nam

Nam pro virgine collocat marito  
Natam Psychophonus, viris iugatam.  
Subactum sibi millies agellum  
Tradit Spartacus alteri colendum:  
Sed viro rapit hinc; relinquit alter  
Currucae, vitulo sequente, vaccam.  
Non illo magis iste fænector,  
Non isto minus ille criminator,  
Rhythmorum bonus artifex uterque  
Versipellis uterque; inexpiat  
Fligrantes odio simul bonorum;  
Famosi pariter, tenebriones,  
Exules, socij periculorum.  
Pulcre conuenit hospiti gemello.

In Cerdonem Peuceromastigem.

Loripedem rectius derideat, inquit Aquinas:  
Tu rectum, Cerdo, loripes ecce notas.  
Vulpem namque vocas, nebulos, nil vulpis habentem:  
Cui famam pietas integritasque dedit.  
Veræ quem fidei bene doctrinæque tenacem  
Carceris haud potuit longa domare mora.  
At gallinarum vicinæ tu bonus auceps,  
Quam meritò Vulpis nomen habere potes!

De Krade Tenffel.

Quem Graij quondam Cronium dixeré, Cradonis  
Saturnum coluit nomine, Saxo vetus.  
Postera sed cultus ætas exosa profanos,  
Desijt hunc cultu numen habere suo.  
Quin potius, quem Graius homo Cacodæmona dicit,  
Hoc Crado deinde tibi, Saxonis ora, fuit.  
Nomine, si nescis, cognato fabula de te  
Narratur, Stygij, Cerdo, propago patris.  
Omnia cuius habes, vocem, mendacia, vultus:  
Ut similis vespa vespa sit ipsa minus.

In

In Nanum.

Ore locuturas Plautino, si loqui liberet  
Musis latine, censuit scriptor vetus.  
Ore loqui Nani puto dæmonas, cum loqui huic lubescit  
Conuinciorum plastra cum mendacijs.

In Cerdonem Calbiensem.

Herostratum perhibent, Ephesinae sacra Diana,  
Fgnibus iniectis, fana cremasse manu.  
Ut, quam vacordi studium virtusq; negabant,  
Famam per dirum quereret ille nefas.  
Sordide sic Credo ( nec enim Crato ) tu quoq; nomen  
Per probra affectas, quod tibi Musa negat.  
Perge ita: signabit tua nomina sectile ß̄nne  
Nunquam: sed vitam per maledicta feres.  
Te merdis pingent atris, mictum atq; cacatum  
Inq; caput venient, putide Credo, tuum.

IN EVNDEM PECCATVM ORIGINIS similitudine nauseæ ciborum & potus declarantem.

 *VIS non cibinno laxet ora, quis sinet  
Non intimo ridendo rumpat pectora  
Subulcus ille Calbiensis, arbiter  
Catus monetæ, callidusq; scorie  
Adulteriniq; estimator dogmatis,  
( Verum popinæ, quam aurificinæ notior )  
Res mira, labem originalem, casei,  
Carnis, meriq; pingit abstinentia,  
Quæ multi abhorrent insito fastidio.  
O te beatum, Credo, labe quem sine,  
Non vlla Zyibi, nulla succi vitei,  
Eduliorum nulla vexat nausea;  
Famem culinæ doliorum gurgitem.  
O ter beatum luculento dogmate,  
O puriorem criminis te prodromo  
Christi, merum qui non bibit, nec siceram.*

A 4

In eun-

In eundem & eius applausores Flacianos.

Quis tibi, Credo, neget factum bene nomen Adami &

Primi more patris, tu quia labe cares  
Omnibus innata mortali stirpe creatis,

Postera quos ætas extulit, atq; feret.

Qui scis? caseolis nam vesceris, appetis esum  
Carnis, qua Samius temperat ora senex.

Nec satis: in seram producis pocula noctem,  
Seu tibi sit Zythi copia, siue meri:

Non Cereris, non te capiunt fastidia Bacchi,  
Quæ sentit, quisquis semina labis habet.

O caput Anticyra nulli sanabile tota,  
Somnia cùm chartis illinis ista, nefas.

O tecum cerebro vacuos, & mentis inanes,  
Qui portenta palam tam fera laude vehunt.

O verè Flacicos, Flace nec plus pisce valentes  
Iudicio, cuius nomen, ut omen, habent.

Crato Kröte.

Cui nomen fecere rubi, terrestre rubeta  
Est genus, angue nocens non missus, atq; nepa:

Haud ulli innocuum visu, mingensq; venenum,  
Afflaius segetes inficiensq; suo.

Dic mihi, Credo, tuis num sint hæc congrua factis,  
Qui letale nigro virus ab ore vomis,

Doctrinæ spargens dulci sub melle venenum,  
Quale nec in fixo vipera dente dedit?

Cuius facta refers, ergo te nomen ab illa,  
Credibile est, patria voce tulisse tuum.

In abortum Cerdonis Anno 90. editum, con-  
ceptum verò 91.

Consarcinatio ista, quam mendacijs,

Dolisq; miris Calbiensis consuit

Subulcus, est abortus admirabilis.

Futuro enim conceptus anno, hoc editus,

Quam gigneretur, editus fuit prius.

ALIVD.

## A L I V D.

Vis scire, lector, ista quām sint consont  
Vero, subulcus iste quæ blaterat: legas  
Afronte quæ præ se ferunt, tergum & vide.

F I N I S.

HONORABILI VIRO D. M. ADAMO CRATO-  
ni, Superintendenti Vitulorum.

Ortius Gratius S. D.

**B**Onorabilis Domine, quamuis non habeo notificationem vestri, tamen nescio quomodo est, quod ego sic amo vos, sicut una puella amat unum iuuenem valde pulcrum. Vidi enim nuper aliqua carmina, & tam magnum librum, quem vos fecistis excudi, & cogitaui: Ecce, ille potest facere libros, Ergo est doctus. Et ideo etiam non possum celare, quod nuper fui apud quosdam bonos socios, qui fecerunt mentionem vestri. Et ibi fuit unus Trufator, qui dixit ad me: An tu nouisti quendam, qui dicitur CRATO VITVLINVS? Et ego dixi, quod nescio. Et ibi dixit: Ille est superbum animal, & dicit, quod est magister, & tamen non est magister, & ego pro mea Dialectica dixi. Si dicit, quod est magister, Ergo est magister: quia si non esset, tunc non diceret. Presumitur enim, quod pastor non mentitur, sed dicit veritatem, vel quasi. Tunc ille derisit meam Dialecticam, & dixit, quod ego sum malus Dialecticus, & addidit: O vituli miserere IOHANNIS: & ego hoc non volui pati. Tandem ille voluit afferre aliquam subtilitatem ex Aristotele, & dixit, quod aliquid potest esse aliquid dupliciter, scilicet, Realiter & Verbaliter, & concepsit, quod vos estis magister Verbalis, & non Realis. Verbalis quidem, quia tantum verba sunt, & non res: hoc est, quod vos multa facitis verba de his, quasi estis magister, & tamen mentimini in collum vestrū: & amplius dixit, quod etiam ideo non estis Realis, quia estis indoctus, & quod non tenetis, quæ debent magistri tenere, & quod facitis multa carmina, quæ possent alicui prouocare colicam & tenuem merdam, & quod sunt omnino talia, sicut sunt illa, de quibus Stigelius dixit: Meus canis cacat meliores versus, quam ille scribit. An hæc non est contumelia? quasi vero canis posset merdare meliora carmina, quam vos euomit. Quia canis est animal irrationale, vos autem estis rationalis, vel quasi, sed ille risit, quod canis est animal irrationale, & fecit tale argumentū. Vitulus est animal irrationale, Crato est Vitulus, Ergo est animal irrationale. Tunc ego steti contrā, & dixi: quod Vitulus est animal quadrupes. Vos autē non estis animal quadrupes, Ergo non estis Vitulus. Tunc ille Trufator dixit, quod vitulus est duplex. Propriè vitulus, & metaphorice, & dixit, quod vos estis vitulus metaphoricus,

taphoricus, figuratiuus, tropicus; & quod estis B O S in cete, & quod cornua habetis sicut  
hircus, sed disimulatis vos habere. Tunc ego fui valde iratus super eum, & dixi ex Doe-  
nato: Si tu es tam acutus Dialeticus, Tunc da demonstrandi: quia ego scio, quod non potes  
demonstrare: quia, quod non est in rerum natura, id non potest demonstrari. Illa cornua non  
sunt in rerum natura, Ergo non possunt demonstrari. Item: Homo non est animal cornutum,  
Ergo D. M. Crato non est cornutus.

Tunc ille iussit me interrogare depositorem vestrum, an non habueritis longa cor-  
nua ante depositionem. Deinde quod magna particula cornuum remansit in fronte, & quod  
deinde creuerunt in magnam longitudinem, & quia non estis recte depositus, adhuc esse  
B E A N V M iterum deponendum. Ausus etiam fuit probare ex scriptura, & dixit: quod  
Moises fuit multò sanctor quād vos, & tamen habuit cornua: Ergo multò magis vos habe-  
re cornua, & probauit à communis fama, quod amici vestri dicunt Vos capricornus propter  
naturam & mores, quia estis inquietus, & omnes vultis lambere, sicut prophetauit de vo-  
bis Virgilius: Pedibus qui spargit arenam. Item: Cornu ferit ille, caueto. Tunc ego dixi,  
cur tu dicis, quod Virgilius est Propheta: tunc dixit, quia est vates: quid vates & Pro-  
phetæ sunt idem. Tunc ego dixi: Ergo etiam M. noster Crato est vates, quia potest scri-  
cere carminis. Tunc dixit, quod vos non estis vates, sed fatuus, quia non facitis carmina,  
sed crimina. Tunc dixi, est magnum discrimen inter vates & fatuus, sicut inter oves &  
ova, iuxta illud, Inter ves & va est differentia magni.

Tunc ille mirauit, quod ego fui tam subtilis, & tamen non voluit cedere, & dixit:  
Si est vates, Ergo est fatuus, quia Poëtæ habent furorem poëticum, & fecit distinc-  
tionem, & dixit, quod libenter concedit, quod vos habetis furorem, sed non scientiam  
Poetarum, quia multi sunt Simiæ Poëtarum, qui imitantur furorem, sed non scientiam.  
Tunc ego dixi, quod verum est, quod interdum est is furiosus præ magna sapientia, &  
probauit quod habetis etiam sapientiam, & sic argumentauit:

Qui potest compilare libros, est sapiens:

M. Crato potest compilare libros,

Ergo M. Crato est sapiens.

Tunc ille iterum fecit distinctionem, & dixit pro primo, quod meum argu-  
mentum non est bonum. Deinde quod sunt quatuor termini, & scopæ dissolutæ, &  
quod medius est ambiguus, & quod maior debet intelligi de bonis libris, minor de fatuis  
& furiosis libris, & contra argumentauit:

Qui facit malos libros, non est sapiens.

Crato facit malos libros,

Ergo Crato non est sapiens.

Tunc ibi ego non potui soluere, quia non didici Parvialogalia. Deinde voluit proba-  
re pro

re pro secundo per exemplum, & dixit, quod nuper fuit in Bibliopolium aliquis vir doctiss.,  
& inspexit vestrum caudicem, & dixit suum iudicium per haec verba: Quanto conatus  
quantas nugas ille dicit! Tunc librorum venditor pro hoc honesto iudicio de vobis vo-  
luit ipsi dare illum librum, & ille non voluit habere, & dixit: Quid vis mihi dare? E-  
go non volo habere illas schartecas in mea Bibliotheca inter libros utiles, & non volo  
sic perdere tempus, & legere illas Frascarias; inde librorum venditor dixit, si nemo  
vult emere illas schartecas, tunc ego volo inde facere nouaculas, & portare ad Illyri-  
cum, ad quotidianum usum. Putauit quod sic bene probauit, quod vos non estis sapi-  
ens, sed furiosus. Et credo quod non fuit Christianus, quod contempsit vos. Econtra  
cogitaui, quod vos estis Christianus, quia Christiani sunt contenti in mundo. Ultra  
hoc etiam cogitaui, quod fuit Philosophus, & quod non intelligit Theologiam, & omnia  
voluit iudicare iuxta Philosophiam. Tunc dixi arroganter ad eum.

Ille homo fuit Philosophus, Ergo non potest iudicare de Theologia, quia Theologia  
est super Philosophiam. Tunc ille dixit, quod vos etiam non estis Theologus, ex natu-  
rali inclinatione, sed ex coactione: quia in adolescentia non studiasti Theologiam, sed  
ariam amandi, & voluisti fieri Iurista seu procurator, & specimatum, & quod fuisti  
superbus, & voluisti incedere sicut unus nobilis cum pileo holoserico, & penna, & sica  
argentea, & caligis artificiosis, & cum catena aurea, & voluisti ire in Italiam, & di-  
scere practicas Italicas, ut fieretis diues: sed propter unam noctem omnia consilia ve-  
stra ceciderunt in puteum, & in lutum, iuxta illud:

Nox, & amor, & vinum, & nihil moderabile suadent.

Tunc dixi, quod ego hoc non possem intelligere, & quod debet dicere crasse, & ille dixit,  
Das ist so einen dölpischen Kopf, das du das nicht verstehen kannst: & dixit quod vos lufstis  
cum vestra Sponsa, ante nuptias, illum lusum qui dicitur Barnüffel, & quod illa habu-  
it unum folium, quod dicitur Bösesieben, pro ultimo iactu, & ita vos perdidistis lusum,  
& coactus fuisti manere domi, & non potuisti ire in Italiam, & suspendisti Iuristriam ad  
parietem, & cœpisti legere Postillas, & sic ex desperatione estis factus prædicator, &  
non Procurator, sicut de vobis prædictum est: Desperatio facit monachum. Ego  
miraui, quomodo hoc scivit, & dixit quod audiuit in Stasfort, & quod vestra  
mulier aliquando fuit ebria, & iracunda, & quod vobis maledixit, & dixit  
quod voluisti fieri perfidus, & streichare per campum, & abire in prolixam regionem,  
& relinquere se cum infante in Germania. Deinde dixit, quod auduit etiam in Calbe  
in templo, quando filia vestra habet sponsalia, quod per consequens matrimonium legit-  
mata, & quod Stalhauer dixit vobis, quando voluisti eum proclaimare, ut adulterium  
dixit: I præ, sequar. Si hoc verum est, ego nescio, videtis quomodo ego pugnai pro vobis,

B

quia

quia puto quod estis meus consanguineus, quia Crato & Gratus sunt quasi unum nomen. & videtur, quod pertinemus ad familiam Gracchorum, & quod sumus nobiles Romani, vel quasi. Unum adhuc est, quod non libenter dico, quia timeo quod eritis iratus, & quod potestis cadere in febrem quartanam, sed volo tamen dicere. Dixit: Quod habetis vespas in manica, vel in marsupio, quae vexant vos & pungunt, quod saltatis sicut vitulus, & dixit, quod in antiquo aliquo caudice manuscripta inuenit haec verba: Vitulus vitulans victoriam, id est, Vitulus triumphans, quasi victor. Et dixi: Quid est vespa? Tunc risit & dixit: die Zummeln plagen in den Zundtagen! Ego dixi, forte a vespa dicitur. Vespasianus, qui fuit Imperator, & dixit, quod non, sed a Beelzebub, qui dicitur rex vespasorum, quasi dominator inter vespas infernales, inter Diabulos & furias, non igitur a Vespasiano Imperatore, sed a Vespa Diabolo intitulatur, & Crato, quasi Der Bräder Teuffel.

Postremo habui adhuc unam argumentationem, & quia ille citauit carmina, ego etiam per Poëtriam volui eum confundere, & dixi:

Parci illa viris tamen obijcienda memento:

Et dixi, quod debet vobis parcere, quia vos estis Superintendens, & quod ideo debet vos habere in honore, & debita reverentia. Et probauit uno robusto arguento, quod ego legi hoc in libro expresso: & si esset mendacium, hoc impressor non impressisset, & quod vos non iuberetis imprimere, si non esset verum. Quia estis vir humilis, & quasi seruus seruorum, sicut Papa. Sed audite D. M. quam contumeliosa verba ille homo dixit. Quis Diabolorum, inquit, fecit eum Superintendens? Quia princeps non mandauit, consiliarij non mandauerunt, & nemo aliis mandauit. Ergo ex sufficienti enumeratione sequitur, quod non est Superintendens, & quod mentitur. Tunc ego dixi, si non est, cur igitur dicit & scribit, quod est. Ubi ille respondit per distinctionem, & dixit, quod estis Superintendens verbalis & non Realiss sicut estis Magister verbalis, iuxta illud, verba dum sint. Ita semper fecit distinctiones, quas ego non potui refutare, & dixi, Diabolum cum distinctionibus, quis excogitauit distinctiones? Videtur mihi, quod est inuentum Aristotelicum & Ethicum, & quod non decet Christianos sic distinguere. Quia Christiani debent esse simplices sicut columbae, & prudentes sicut serpentes: iuxta illud: Beati rudes, quoniam asini Domini vocabuntur. Tunc ille dixit: tu vis, quod est simplex Superintendens, id est, simplicianus & simplicista, sed herbarum tamen ignarus, & rurus faciebat distinctionem, & dixit, quod non estis Superintendens, sed S V P R A T E N D E N S, id est, F N A L T V M T E N D E N S, quod vultis esse vir altus, sicut Dominus de alta Platea, siue Hochstratus, qui etiam volebat esse altus contra Lutherum, & cadebat in profundum lutum, & commaculabat se. Ita vos vultis esse altus, & vultis scribere

Scribere libros, sed permerdabitis vos aliquando, & fietis lutosus, id est, Sus in luto. Corrumpebat etiam vestrum nomen, & appellabat Cerdonem, Sutorem, qui consuit mala carmina, Sudler, Gnathonem, Thrasonem, giffige Kröte, & multa alia: ego libenter ei dixi: sem aliquid, sed quia sciebam quod etiam vos soletis aliorum nomina deprauare, ergo coactus sum tacere.

Hæc volui vobis scribere ex parte. Quia non possum omnia scribere, si deberem omnia scribere, tunc oportet me habere integrum cutem Bouis, vel Vaccæ, seu vituli maiusculi. Et non potui eum superare: Quia videbatur mihi esse Philippicus, qui solent esse acuti Dialectici, & non arguunt adeò stultè & craße, sicut vos & ego, & alij contemtores Dialectices, & doctorum virorum. Ego non volo amplius cum eo disputare, quia semper ridet, quando aliquid dico, quasi ego essem Beanus, & hoc non possum pati, & verum est quod vos & ego adhuc sumus Beani, & nunquam sumus depositi. Quia nunquam fuimus in Academia. Sed hæc ego dissimulabam, & nolebam ei dicere: Vos etiam nolite dicere: Quis enim scire potest, quid nos sumus?

Non volo etiam vos amplius defendere. Si enim non estis Magister & Superintendens, quomodo ego possum vos defendere? Ipse defendatis vos. Si essem tam doctus sicut vos, ego vellem scribere unum magnum librum contra eum, & vellem eum sic crinifare, quod deberet sibi habere sanctum Valentimum, & vellem ei dicere audacter; quid me vexas multum, putas me esse ancillam Quentels? tunc erubescet & tacebit: Quia non potestis eum melius confundere, quam per impudentia verba: Nihil scio amplius, alias vellem diutius nugari. Quia scio, quod vos estis magnus nugator, & quod libenter auditis nugas. Et sic est finis.

Bene valete honorabilis vir, Dn. M. & D. Superintendens, & D. Pastor, & D. Concionator, & D. Adam, & D. Crato, & aliquid amplius, si velletis.

### Postscripta.

Pene oblitus eram, quod etiam ille Trufator dixit, quod estis Fur & Sacrilegus, quod abstulistis ex Sacristia margaritas, & furastis holoericum, & ornatum Sacerdotalem. Sed ego credo, quod aliquis nequam hoc finxit, & quod tanum mutuo accepistis in absentia, inscijs vitricis Ecclesiae: melius tamen esset, si cum consensu esset factum, iuxta illud: Gaudium est misericordia, socios habere in paenit. Imprudenter autem fecistis, quod Diacono & custodi nihil inde dedistis: quod si factum fuisset, illi tacuissent. Sed transerant illa cum ceteris erroribus generis humani.

B 2

Aliud.

Aliud post scripta.

Dicebat etiā ille Trufator, quod soletis libenter visitare agrotos diuites, & quod nuper apud vos est mortua virgo nobilissima, ex cuius bracchio detraxisti armillas aureas, & ei furasti multum de eius ornatu, quod filiae vestrae dedisti, & quod nobilissimae matronae de digito abstulisti annulos aureos, quos cum ignominia coacti fuisti reddere. Et dicebat, quod estis peior fur quam multi qui suspenduntur de patibulo. ego nihil sciui quod contradicere potui, sed tacui ut mus, ego libenter dixisse, tu mentiris, non est verum, sed multi erant ibi qui dicebant, hoc esse verum: Ideo ego tacui. Ego suadeo, ut & vos taceatis, & non refutetis, ne alij plures hoc resuscitant, quia merda attrita grauiter solet olere. Dicebat ille Trufator, quod haberet magnum caudicem plenum nouitatibus de vobis, quas vellet curare in primis. Ego dixi, quod non deberet facere, quia hoc esset contra dilectionem fraternalm, & contra illam cantilenam, in qua haec verba habentur, Deines nechies schande decken zu Myrioleis. Ibi ille cum admiratione tacebat, quia ex scriptura erat conuictus, sed quia non est Christianus, respondit ex Terentio: Benedictis si certasset, audisset bene; Si quae dicit quae vult, quae non vult, audiet. Videtis igitur, quod ipsorum Theologia est tantum Philosophia, & sic iterum valete. Datum vi in literis.

Homer. Il. 2.

Οὐκοῦν καὶ προστάτης τοῖν καὶ επαγόμενος.

Euripid. Alcest.

εἰ δὲ οὐδεὶς παντας

Ἐργος ἀνέργητον φεύδη κακά.

Hesiod. lib. 2.

Εἰ δὲ κανονίσταις, τέχαι καὶ αὐτοῖς μετὰν αὐτούς.

Plautus Pseud.

Consumeliam si dices, audies.

F I N I S.



65 X 12 57

M



Pon XB 1257, QK (1)



Sb





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-196015-p0018-3

DFG

# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



# Prodromus

## RESPONSIONIS SOLI DIORIS AD SCRIPTVM FV- TILE, MALEDICVM, ET BLASPHEMV M A, CERDONIS, PASTORIS ET SVBVLCI. CALÆGIANI.

Editus

à

Viris bonis & Orthodoxis, studio aman-

te veritatem, & auersante hypocrisin cū calumniarum virulentia.

CVI ADIECTA EST EPISTOLA VIRI OBSCVR-  
ri Ortij Gratij stylo veteri ad eundem.

Terent. Andr.

Si mihi pergit quæ volt dicere, ea, quæ non volt, audier.



NEAPOLI.  
ANNO M. D. XCL.